

XXIII. Verum hujus epistolae fides ob varia quae in ipsa occurrunt apud Eruditos non tantum vacillat; sed uno pendente consensu judicatur conficta, & S. Ludgero ab aliquo recentiore supposita.

Imprimis enim ipsa S. S. V. vberti Canonizatio eo modo & ordine enarratur, quo nunc & ab annis quadringentis celebrari solet. Certum est autem, hanc celebritatem trecentis & minus annis post Leonem III. cepisse; usque ad illud tempus enim simplex admodum erat Canonizationis ritus; de quo vide dicta parte I. tit. 22. cap. 1.

Adhaec auctor hujus epistolae saepius recitat Episcopos Archiepiscopos, Cardinales & Proceres Pontifici affidentes, sed semper primo loco Cardinales collocat contra morem illius temporis & saeculorum sequentium, ait Morinus lib. 10. cap. 20. num. 11. qui ibidem plura illius Epistolae suppositionis indicia allegat, atque ex iis instituit non dubitat, "eam esse confictam ante trecentos annos, aut ut maxime quadringentos nomine S. Ludgeri ab aliquo Verdoni Monacho in sui Monasterii commodum & gloriam.

XXIV. Pro antiquitate harum Indulgentiarum allegat quoque Baronius alique eum sequuti quemdam antiquum marmoreum lapidem, qui Romae in Ecclesia SS. Sylvestri & Martini extat; in quo lapide inſculptum legitur, a Sergio Papa varia Sanctorum Corpora ibidem fuisse recondita; additurque: "Et dictus Pontifex concessit singulis, ad hanc Ecclesiam venientibus, in festivitibus istorum Sanctorum tres annos & tres quadragesimas de vera Indulgentia.

Verum cum in lapide non notetur aera positionis aut inſcriptionis; quis dicet, hunc lapidem positum fuisse, aut sculpturam factam tempore hujus Pontificis; aut si lapis aliquis positus fuerit, & inſcriptio facta; quis scit, an successu temporis lapide trito, & litteris exes, lapis renovatus & inſcriptio alia inſcripta non fuerit; praesertim, quia Anastasius Bibliothecarius in vita hujus Pontificis referens hunc Pontificem, Ecclesiam in meliorem & pulchriorem statum a fundamentis perfecisse; atque in eandem ipsam plura Sanctorum (quorum nomina exprimit) corpora condidisse; nullam tamen Indulgentiarum faciens mentionem; nec non alia nonnulla ita referens, ut non obscurum sit, manu recentiore nonnulla addita fuisse ab eo qui lapidem posuit, & inſcriptionem cudit: quemadmodum pluribus probat R. P. Papenbrochius in Propyleo ad Acta Sanctorum mensis Maji dissert. 17.

XXV. Indulgentiae plenariae quae a S. Sylvestro concessae dicuntur visitantibus Ecclesiam Lateranensem nullam apud eruditos fidem merentur.

Quid enim Sylvester Papa ad ornatum Basilicarum Romanarum suo tempore & suafu structarum contulerit, fusillimè prosequitur Anastasius Bibliothecarius; sed nec hic nec alius fide dignus Historicus, antiquus aut novus meminit Indulgentiae plenariae, quam omnibus ad Lateranensem Basilicam venientibus largitus sit; quemadmodum in magna tabula Basilicae istius hodie inſcriptum est. Argumentum sane, tamen negativum, vel solum sufficiens ad falsitatem illarum Indulgentiarum convincendam; licet nec alia positiva desint illius falsitatis argumenta.

Anastasius enim qui omnia Honaria a Sylvestro Basilicae isti collata retulit, potest ne praesumi rationabiliter, fuisse silentio praeteritum donarium hoc plenarium Indulgentiarum, tanto quam aliorum donariorum pretiosiorum thesaurum?

Firmum itaque manet Morino, quem Eruditiores plerique hodie sequuntur, ante saeculum saltem XI. hujusmodi formulas Indulgentiarum nec Episcopis, multo minus Romanis Pontificibus visitatas fuisse.

XXVI. At hinc nemo concludat, Morinum ullumve Catholicum credere, Indulgentiarum usum dumtaxat

saeculo XI. in Ecclesia notum fuisse; aut potestatem concedendi Indulgentias ab Episcopis & Pontificibus illo saeculo usurpatam.

Omnes enim Catholici libenter fatentur, Indulgentiarum potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutare esse: uti habet hodierna Professio Fidei; atque una cum Synodo Tridentina in Decreto De Indulgentiis, eos damnant qui aut inutiles esse afferunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

Verum qua forma, & modo concessae jam pridem fuerint; aut quando primum haec aliave formula usitati coeperit, ad disciplinam historiamque, nequaquam ad fidem pertinere dicunt.

XXVII. Similiter de causa ex parte dantis; de dispositione ex parte lucrantium aliusque; similibus, jam pridem, uti & hodie multae, praesertim a Theologis quaestiones, salva fide agitantur & discutuntur; quae quia ad dogmata magis, quam ad disciplinam, aut historiam spectant, eas, ne falsam in se seminem alienam mittam, Theologis relinquo; intra materiam disciplinam & historiam me concludens: praesertim quia pauca quae a Scholasticis in hac materia Indulgentiarum agitantur aut traduntur ad certitudinem Fidei & doctrinam Ecclesiae Catholicae pertinent; uti ostendit Veronius in Regula Fidei a Walburgis probata & adoptata; ac sufficienter insinuat Episcopus Meldensis in Expositione doctrinae Ecclesiae Catholicae a variis Cardinalibus, Episcopis & Praelatis, nec non speciali Brevis Innocentii XI. probata ac laudata, in qua de Indulgentiis tanquam doctrinam Ecclesiae Catholicae haec dumtaxat proponit: "Cum aspera peccatoribus & laboriosa opera iungit, iique illa submissio animo subeunt, ea dicitur satisfactio: cum autem propter eximiam Pœnitentium pietatem, aliave bona opera quae iis ipsa praescripserit, debita aliquid, ipsis poena remittit, ea dicitur indulgentia. Nihil aliud de Indulgentiis credendum proponit Tridentina Synodus quam potestatem eas conferendi a Christo Ecclesia concessam esse, earumque usum esse salutarem. Additque: retinendum illum, adhiberi tamen moderatione, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Unde patet Indulgentiarum dispensandarum modum ad disciplinam pertinere.

## CAPUT II.

### De Moderato Indulgentiarum Usu.

1. Apostolus magna usus moderatione in concessione Indulgentiae.
2. Hanc sequuta pristina Synodi.
3. Ne his excederent Episcopi Pœnitentibus sedulo invigilabant.
4. Ut moderatio hac servaretur, jubentur Martyres, priusquam dent libellos statum Pœnitentium expendere.
5. Arguuntur Martyres, qui sine pravo examine libellos tradunt.
6. Martyres de disciplina Ecclesiae per Diaconos instruebantur.
7. Libello non dandi nisi iis, qui erant satisfactioni propitii.
8. Non omnibus libellos Martyrum habentibus Indulgentia dabatur.
9. Episcopi libellos Martyrum examinabant; & non nisi prava materia discussione Indulgentia dabatur.
10. Indulgentia extra casum imminenti mortis, non nisi sedata persecutione, & post mortem Martyrum datur; & quare?
11. Hac species Indulgentiae quando desierit?
12. Saeculo XII. ceperunt Episcopi aliqui in dandis Indulgentiis excedere; & quare ratio excessus?

13. Ro.

## Pars II. Tit. VII. De Indulgentiis.

13. Romani Pontifices in dandis Indulgentiis etiam saeculo 12. moderationem tenuerunt.
14. Indulgentia aliquot centenorum aut millium annorum fœderia.
15. Romani Pontifices applicationem Indulgentiarum aliquando commiserunt Episcopis; & quare.
16. Concilium Lateranense culpas excessum Indulgentiarum.
17. Episcoporum auctoritas in dandis Indulgentiis per Concilium restricta.
18. Concilium excusavit Episcopos ad moderationem exemplo Pontificum Romanorum.
19. Ostenditur Pontifices etiam saeculo 13. parce dedisse Indulgentias; sed sensim fuisse liberaliores.
20. Ostenditur exemplo Indulgentiarum concessarum in canonizatione Sanctorum.
21. Sixtus IV. Indulgentias nimias a se & a Praedecessoribus indulgentias restrinxit; & quare?
22. Quare egre debita moderatio in usu Indulgentiarum observari potuerit?
23. Moderationem iuxta veterem usum servari voluit Synodus Tridentina.
24. Synodi nolunt adhiberi fidem libellis promittentibus plurimas indulgentias ex levissimis causis.
25. Merito Parochi hodie de his populis monent.
26. Haec innotuit & nocent peccatoribus, qui tempore Indulgentiarum pro gravibus peccatis imponunt leves poenitentias.
27. Regula Cancellaria volens ex primi Indulgentias anteriores.
28. Quomodo haec regula mutata?
29. Regula Cancellaria vetans dari indulgentias adinstat.
30. Congregatio Indulgentiis concedendis & examinandis praeposita.

I. Postolum Paulum Corinthio inſultuoso Indulgentiam dedisse ostendimus capite praecedenti: "at non nisi post afflictionem Pœnitentiae tam gravem ut ex ea desperationis periculum metueretur, illi Corinthio residuum donat Pœnitentiae: ait Estius in IV. Sentent. dist. 20. §. 10. Unde intelligitur, quanta moderatione haec Apostolica Indulgentia concessa fuerit.

II. Eam attendentia antiqua Concilia declarant quidem, Episcopis esse potestatem dandi Pœnitentibus Indulgentiam seu remissionem; at cum summa moderatione & circumspectione eam concedendam monuerunt.

"Statuimus ut Episcopi, modo conversationis examinato potestatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi," ait Synodus Ancyrana Can. 5. additque: "Ante omnia autem & praecedens vita, & quae consecuta est examinetur, & sic eis clementia impertiatur.

Idipsum indicat Canon 12. Nicænus, permittens iis Pœnitentibus Indulgentiam concedi, live humanius cum illis agi, "quicumque & metu & lachrymis & tolerantia, & bonis operibus, conversionem opere & non tantum habitu ostendunt.

Rectè proinde Estius post supra citata verba immediate subiungit: "Et vetera Concilia statuunt circa eos, Pœnitentes humanius aliquid cogitandum, qui cum omni timore & lachrymis perseverantibus conversionem bonam ostendissent.

III. Hinc tanta jam pridem fuit Episcoporum vigilantia ac diligentia, ut modum convertendi, peragendique statutam Pœnitentiam ipsorum Pœnitentium probe noscerent. Idcirco Presbyteros vel Diaconos constituebant, qui continuo Pœnitentibus invigilarent, Van Espen Jur. Eccl. P. II.

eorumque curam agerent, atque statuto tempore de conversatione & statu Pœnitentium sine odio aut humano affectu sincerum testimonium Episcopis darent: quo Episcopi intelligerent, quam clementiam seu indulgentiam attento modo conversationis & statu Pœnitentium, dare conveniret.

IV. Haec moderatio ut servaretur in largiendis Indulgentiis ad preces Martyrum, imprimis Episcopi volebant, ut Martyres lapsorum personas & criminum qualitates diligenter expendere, antequam Indulgentiae beneficium pollicerentur, live libellos darent.

Unde ad Martyres scribit Cyprianus Epist. 10. "Oro vos quibus possum precibus, ut Evangelii memores, & considerantes quae & qualia in praeteritum Antecessores vestri Martyres concesserint, quam sollicitudinem desideria pondereris. Ipsorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis, ne si quid abruptè & indignè vel a vobis promissum, vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat.

V. Cum quidam Lucianus & ipse unus de Confessoribus fide quidem calidus & virtute robustus minus tamen Dominica lectione fundatus (ut de ipso scribit Cyprianus Epist. 33.) his non attentis, promissu sine examine lapsus pacem dedisset, graviter a Cypriano reprehenditur; uti & a Clero Romano Epist. 30. inter Epistolas Cypriani; ubi & istam quorundam Martyrum seu Confessorum imprudentiam, & lapsorum qui illa abutebantur temeritatem acriter increpat.

VI. Et quia sub levissima Deciana persecutione tempore S. Cypriani, magna esset copia Confessorum, hoc est, qui fidei causa in carceribus detinebantur, etiam plures idiotae, nec litteras callentes & disciplinae Ecclesiasticae plane ignari inter illos inveniebantur; ideoque erant Diaconi ad carceres commanentes, qui Martyrum desideria consilii sui, & Scripturarum praeceptis gubernarent; teste Cypriano Epist. 10. ne Martyres temerè nec satis moderate hos libellos Indulgentiarum annuerent.

Eandem ob causam in libellis nominatum designari volebant a Martyribus, quibus pacem seu Indulgentiam dari rogarent. "Sed & illud (ait eadem epistola 10.) ad diligentiam vestram redigere, & emendare debetis, ut nominatum designetis eos, quibus pacem dari desideratis: audio enim quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur: Communicet ille cum suis. Quod numquam omnino a Martyribus factum est, ut incerta & caca petitio invidiam nobis postmodum cumulet: late enim patet quando dicitur: ille enim cum suis; & post sunt nobis vicini, & triconi, & amplius offerri, qui propinqui & affines & liberti ac domestici esse asseverantur ejus, qui accipit libellum.

VII. Deinde haec notanda subiicit: "Et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum poenitentiam satisfactio proximam conspicitis, designetis nominatum libello, & sic ad nos fidei ac disciplinae congruentibus litteras dirigatis.

En quanta circumspectione & moderatione hos Indulgentiarum libellos a Martyribus dandos esse judicaverint Patres.

VIII. Nec tamen omnes qui Martyrum libellos accipiebant, ideo Indulgentiam seu pacem consequerentur.

Martyres enim pacem lapsis non concedebant, sed Episcopis dumtaxat pro lapsis supplicabant; ut ad suas preces & desideria indulgentiam lapsis dare vellent.

IX. Porro Martyrum desideria & preces Episcopi discutiebant, examinabantque, num his pro quibus Martyres rogabant, ob honorem & reverentiam Martyrum eorumque preces & merita aliquid esset indulgentiarum; atque ante actam poenitentiam pax danda foret.

Kk 3

Ad

